Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# T. Livii Patavini Historicorum omnium Romanorum ... libri omnes

Livius, Titus

Francofurdi, 1648

Lib. II

urn:nbn:de:bsz:31-105429

Visual Library

## LIB. II. EPITOME.

CVm legati Romanorum a Gallis Senonibus interfecti eſſent, bello ob id Gallis indicto, L. Cæcilius prætor cum legionibus ab iis cæſus eſt. Cum a Tarentinis claſſis Romana direpta eſſet, duce, qui præerat claſſi, occiſo, legati ad eos a ſenatu, vt de iis iniuriis quererentur, miſſi, pulſati ſunt. ob id bellum iis indictum eſt. Samnites defecerunt. Aduerſus eos & Lucanos, & Brutios, & Hetruſcos aliquot præliis a compluribus ducibus bene pugnatum eſt. Pyrrhus Epirotarum rex, vt auxilium ferret Tarentinis, in Italiam venit. Cum in præſidium Rheginorum legio Campana cum præfecto Decio Iubellio miſſa eſſet, occiſis Rheginis Rhegium occupauit.

## LIB. III. EPITOME.

VAlerius Lauinus conſul parum proſpere aduerſus Pyrrhum pugnauit, elephantorum maxime inuſitata facie territis militibus. Poſt id prælium cum corpora Romanorum, qui in acie ceciderant, Pyrrhus inſpiceret, omnia verſa in hoſtem inuenit: populabunduſque ad vrbem Romam proceſſit. C. Fabricius miſſus ad eum, vt de redimendis captiuis ageret, fruſtra vt patriam deſereret a rege tentatus eſt. captiui ſine pretio remiſſi ſunt. Cyneas legatus a Pyrrho ad ſenatum miſſus petiit: vt componendæ pacis cauſa rex in vrbem reciperetur. de qua re cum ad frequentiorem ſenatum referri placuiſſet: Ap. Claudius qui propter inualetudinem oculorum iam diu a conſiliis publicis abſtinuerat, venit in curiam, & ſententia ſua tenuit, vt id Pyrrho negaretur. P. Domitius cenſor primus ex plebe luſtrum condidit. cenſa ſunt ciuium capita CCLXXVIII. millia, CCXXII. Iterum aduerſus Pyrrhum dubio euentu pugnatum eſt. Cum Carthaginienſibus quarto fœdus renouatum eſt.